Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Mariale siue quaestiones super euangelium missus est angelus Gabriel, Luc. 1,26 - Cod. Aug. pap. 73

Albertus <Magnus>

[Reichenau ?], [17. Jahrh.]

Buchschmuck

urn:nbn:de:bsz:31-75023

Visual Library

Liber fratris alberti de ordine predicatorum de laude beate virginis

Prologus

Clara est et que numquam marcescit sapientia et facile videtur ab hiis qui diligunt eam et invenietur ab hiis qui querunt eam. Preoccupat qui se concupiscunt ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad eam non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inveniet. Cogitare ergo de illa est sensus consummatus et qui vigilaverit propter illam cito securus erit quoniam dignos se ipsam circuit querens et in viis ostendet se illis hilariter et omni providentia occurret illis. Item scriptum: qui edunt me adhuc esurient. Et qui bibunt me adhuc sicient. Qui audit me non confundetur. Et qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me vitam eternam habebunt.

Huius igitur largiflue sponsionis submonitus fiducia fiducialiter mitto manus in opus altius tenue pro meo ingenio et scienciolam meam me nimium elevarem si non aut quia non est abbreviata manus domini. Item adhuc omnia possibilia sunt credenti. Est autem opus quod attempto modo dominice incarnationis exordium describentes mee redemptionis inspectum quam in laudem et gloriam et honorem gloriosissime et semper venerande honorare super omnem creaturam virginis matris dei ipsius auxilium specialissima confidentia suscipimus in laborem me eidem una tamquam infirmissima spei mee anchora expectantes fine consumationis.

Et principium laboris que est motrix voluntatis et ea operationis et in perfectione intentionis. Obsecro igitur impensius unum dei omnipotentem patrem luminum qui lucem inhabitat inaccessibilem ut effugatis lumine sue claritatis erroris fallacia falsitatis zizania vanitatis gloria det mihi verum intelligere et dicere de matre ipsius unice et veritatis. Obsecro et eos qui presens opusculum forsan dignabuntur inspicere ut si quid in ipso exosum forsitan ut contingit vanitate aut ipsos aliquod dubium pulsaverit non facile scribant temeritati sed potius simplici devotioni. Non intendimus gloriosam virginem nostris mendaciis adornare nec etiam stilo altiloquo capacioribus intelligentiis aliquid novum aut cum imaginatione et non glosam virginem laudare et nos metipsos ostentare sed rudibus et simplicibus mei similibus devotionis nostre parva simplicia monstrare. [illegible] cuius agit bene quibus nichil dignum reputatur de benedictissima domina tamquam indignus vita et lingua sua mei pectoris ore extulero. Si tu Ciceronem desperat scribendi et loquendi sapientibus sub inspiro. Ut autem lector huius operis materia unius laboris habeat et continentia ipsius plenius summatim prenoscat quedam quasi propria premitto que lucem septibus monstrabit et titulos supponam per quos in materia divisa comprehendet et